seu potius Auctor vitæ Ludov. Imp ad an. 785.

ingruerent, hostium arcerent incursus: velut ex ipsius Auctoris Commentariis, tum, quam ex iis Cl. Reineccius concinnavit, *Paternæ Maternæq; stirpis Expositione*, non uno loco apparet. Imitati nimirum ineo sunt Germanici Monarchæ priscos istos Romanorũ Imperatores, e qui eo usq; imperium, per omnes mundi plagas longe lateq; diffusum, sartum rectũ, quod ajunt, conservarunt, quamdiu pone ejus limites necessarias haberent copias, quæ laterum suorum corporumque oppositu ab omni incommodo detrimentoque sincerum illud integrumque præstarent. Episcopalis autem, quo is excelluit, honor jam una vim Ducalis alicujus potestatis obsederat: *Cathedralibus Ecclesiis* inde ab Ottonis M. temporibus, ut ap. *Theodoricum Niemum* legas, *multis civitatibus, castris, oppidis, villis, & multis aliis dominiis temporalibus & jurisdictionibus auctis: Archiepiscopis quoque & Episcopis Ducatibus & Comitatibus & Baroniis communitis, atque illis nobilibus & potentibus vasallis subjectis, ut semper essent ad resistendum, etiam manu forti, paganis & hæreticis in oportuno tempore fortiores.* Vt ipsos illos Heroas mittam, quorum virtutes immortalitati tradidit, adeo antiquorum nulli secundos, ut & veterum Romanorum gloriam in eo superaverint, quod omnem, qua late patet, Germaniam, non amplius, *terris informem, montibus asperam, cultu aspectuq; tristem, in universum silvis horridam, paludibus fœ-*

e Vid. Lipsi. de Magnit. Rom. lib. 1. cap. 4. & 5. Henr. Savilis de Milit. Rom. p. 78. Casalius de Vrbis & Imp. splendore cap. 2.